

Petrus de Vinea

*Ep. I 13 (Regiae serenitatis
litteras imperialis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 13 (Regiae serenitatis
litteras imperialis...)*

3 maggio-20 giugno 1241

Responsiua Friderici imperatoris ad precedentem

1. Regiae serenitatis litteras imperialis excellentia intellexit, quae, si non haberent in medio contradictionis obstaculum, fuissent apud nos fortassis propositum consecutae. 2. Sed quia modico fermento tota massa corrumpitur, et uniuersalem destruit unius falsitas singularis, constat illa regia scripta sine uirtute medii conclusisse, quod euidenter ex factis nostris ostendimus, quae sunt omnibus manifesta. 3. Notorium est enim et mundus celare non potest, qualiter dudum pater ille Apostolicus innocentiam nostram utroque gladio impugnari, dum nobis ad mandatum suum transfretantibus ultra mare idem aduersarius noster et hostis Syciliae regnum inuasit, et ipsum non in parte, sed multimode, lacerauit. 4. Postmodum uero, post reditum nostrum in Regnum, ad multam instantiam et interpositionem nostrorum Alamanniae principum pace cum Ecclesia reformata, deuotione resumpta, etsi seruitia nostra precesserint, dictus tamen Apostolicus manus suas fortius aggrauauit, et quicquid excogitare poterat ad precipitium nostrum, excogitauit, motu proprio, sine causa in nos excommunicationis sententiam promulgando, litteris et nuntiis nostrae diffamationis titulos predicans uniuersis. 5. Nouissime autem, ad supplantationem nostram aspirans, ut aduersus turrim Dauid turrim construeret ex aduerso, prelatos quoscumque potuit ad synodum particulare Concilium euocauit, Orientem preponere cupiens Aquiloni. 6. Verum mirabilis Dei prouidentia, per quam uiuimus et regnamus, huiusmodi prauitatis ipsius conspiracyonem uertens in nichilum, cardinales et prelatos tam Franciae quam aliarum prouinciarum in manibus nostris conclusit,

quos omnes tamquam nostros hostes et aduersarios detinemus. 7. Nam ubi non deficiebat persecutor, non debebat deesse defensor, presertim cum imperium transcendat hominem, et leonis uestigia animalia singula pertimescant. 8. Non igitur miretur egia celsitudo, si prelatos Franciae in angusto tenet Augustus, qui ad Caesaris angustias nitebantur.